

12. Sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum: sic visitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis, & caliginis.

13. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam: & pascam eas in montibus Israël, in rivis, & in cunctis sedibus terræ.

14. In pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israël erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël.

15. Ego pascam oves meas: & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus.

16. Quod perierat requiram, & quod abiectum erat reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat consolidabo, & quod pingue & forte custodiam: & pascam illas in iudicio.

17. Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego iudico inter pecus & pecus, arietum, & hircorum.

18. Nonne satis vobis erat pascua bona depasci? insuper & reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris: & cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis.

19. Et oves meæ his, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: & quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibeant.

20. Propterea hæc dicit Dominus Deus ad vos: Ecce ego ipse iudico inter pecus pingue, & macilentum:

21. pro eo quod lateribus, & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras:

22. salvabo gregem meum, & non erit ultra in rapinam, & iudicabo inter pecus & pecus.

* *Isaie* 40. 11. *Osée* 3. 5. *Ioan.* 1. 45. *10.* 11. *14.*

23. * ET SUSCITABO SUPER EAS PASTOREM UNUM, qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem.

24. Ego autem Dominus ero eis in Deum: & servus meus David princeps in medio eorum: ego Dominus locutus sum.

25. Et faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra: & qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus.

26. Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem: & deducam imbrem in

tempore suo: pluviam benedictionis erunt.

27. Et dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum, & erunt in terra sua absque timore: & scient quia ego Dominus, cum contrivero catenas iugum eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi.

28. Et non erunt ultra in rapinam in Gentibus, neque bestia terræ devorabunt eos: sed habitabunt confidenter absque ullo terrore.

29. Et suscitabo eis germen nominatum: & non erunt ultra imminuti fame in terra, neque portabunt ultra opprobrium Gentium.

30. Et scient quia ego Dominus Deus eorum cum eis, & ipsi populus meus domus Israël: ait Dominus Deus.

31. * Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ homines estis: & ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus.

* *Ioan.* 10. 11. *14.*

CAPUT XXXV.

Montis Seir sive Idumæorum futura vastatio, eò quod populum Dei afflixerunt.

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis pone faciem tuam adversum montem Seir, & prophetabis de eo, & dices illi:

3. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te mons Seir, & extendam manum meam super te, & dabo te desolatum atque desertum.

4. Urbes tuas demoliar, & tu desertus eris: & scies quia ego Dominus.

5. Eò quod fueris inimicus sempiternus, & concluderis filios Israël in manus gladij in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ.

6. Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus: quoniam sanguini tradam te, & sanguis te persequetur: & cum sanguinem oderis, sanguis persequetur te.

7. Et dabo montem Seir desolatum atque desertum: & auferam de eo euntem, & redeuntem.

8. Et implebo montes eius occisorum suorum: in collibus tuis, & in vallibus tuis, atque in torrentibus interfecti gladio cadent.

9. In solitudines sempiternas tradam te, & civitates tuæ non habitabuntur: & scietis quia ego Dominus Deus.

10. Eò quod dixeris: Duæ gentes, & duæ

duæ terræ meæ erunt, & hereditate possidebo eas: cum Dominus esset ibi:

11. Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus, quia faciam iuxta iram tuam, & secundum zelum tuum, quem fecisti odio habens eos: & notus efficiar per eos cum te iudicavero.

12. Et scies quia ego Dominus audivi universa opprobria tua, quæ locutus es de montibus Israël, dicens: Deserti, nobis ad devorandum dati sunt.

13. Et insurrexistis super me ore vestro, & derogastis adversum me verba vestra: ego audivi.

14. Hæc dicit Dominus Deus: Latante universa terra, in solitudinem te redigam.

15. Sicuti gavissus es super hereditatem domus Israël, eò quod fuerit dissipata, sic faciam tibi: dissipatus eris mons Seir, & Idumæa omnis: & sciet quia ego Dominus.

CAPUT XXXVI.

Quia populus Dei erat in opprobrium Gentibus, eò quod propter sua peccata dispersi essent in captivitate, dicit Dominus, non propter illum, sed propter se reducendum eum in terram suam; quodque super ipsum effundet aquam mundam, faciens eum in suis præceptis ambulare, magnaque frui felicitate.

1. TU autem fili hominis propheta super montes Israël, & dices:

* *Sup.* 6. 3.

2. Hæc dicit Dominus Deus: Eò quod dixerit inimicus de vobis: Euge, altitudines sempiternæ in hereditatem datæ sunt nobis:

3. propterea vaticinare, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod desolati estis, & conculcati per circuitum, & facti in hereditatem reliquis Gentibus, & ascendistis super labium linguæ, & opprobrium populi:

4. propterea montes Israël audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus montibus, & collibus, torrentibus, vallibusque & desertis, parietinis, & urbibus derelictis, quæ depopulatæ sunt, & subfannatæ à reliquis Gentibus per circuitum.

5. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quoniam in igne zeli mei locutus sum de reliquis Gentibus, & de Idumæa universa, quæ dederunt terram meam sibi in hereditatem cum gaudio, & toto corde, & ex animo: & eiecerunt eam ut vastarent:

6. idcirco vaticinare super humum Israël, & dices montibus, & collibus, iugis, & vallibus: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego in zelo meo, & in furore meo locutus sum, eò quod confusionem gentium sustinueritis.

7. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ego levavi manum meam ut Gentes, quæ in circuitu vestro sunt, ipsæ confusionem suam portent.

8. Vos autem montes Israël ramos vestros germinetis, & fructum vestrum afferatis populo meo Israël: prope enim est ut veniat:

9. Quia ecce ego ad vos, & convertar ad vos, & arabimini, & accipietis sementem.

10. Et multiplicabo in vobis homines, omnemque domum Israël: & habitabuntur civitates, & ruinosæ instaurabuntur.

11. Et replebo vos hominibus, & iumentis: & multiplicabuntur, & crescent: & habitare vos faciam sicut à principio, bonisque donabo maioribus, quàm habuistis ab initio: & scietis quia ego Dominus.

12. Et adducam super vos homines populum meum Israël, & hereditate possidebunt te: & eris eis in hereditatem, & non addes ultra ut absque eis sis.

13. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod dicunt de vobis: Devoratrix hominum es, & suffocans gentem tuam:

14. Propterea homines non comedes amplius, & gentem tuam non necabis ultra, ait Dominus Deus:

15. Nec auditam faciam in te amplius confusionem Gentium, & opprobrium populorum nequaquam portabis, & gentem tuam non amittes amplius, ait Dominus Deus.

16. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

17. Fili hominis domus Israël habitaverunt in humo sua, & polluerunt eam in viis suis, & in studiis suis iuxta immunditiam menstruatæ facta est via eorum coram me.

18. Et effudi indignationem meam super eos pro sanguine, quem fuderunt super terram, & in idolis suis polluerunt eam.

19. Et dispersi eos in Gentes, & ventilati sunt in terras: iuxta vias eorum, & adinventiones eorum iudicavi eos.

20. Et ingressi sunt ad Gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomen sanctum meum, cum diceretur de eis: Populus Domini iste est, & de terra eius egressi sunt.

* *Isai.* 52. 5. *Rom.* 2. 24.

21. Et peperi nomini sancto meo, quod polluerat domus Israël in Gentibus, ad quas ingressi sunt.

22. Idcirco dices domui Israël: Hæc dicit Dominus Deus: Non propter vos ego faciam, domus Israël, sed propter nomen sanctum meum, quod polluitis in Gentibus, ad quas intrastis.

FER. 4.
POST
DOM. 4.
QUADR.
EPIST. 1.

23. Et sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est inter Gentes, quod polluitis in medio earum: ut sciant Gentes quia ego Dominus, ait Dominus exercituum, cum sanctificatus fuero in vobis coram eis:

24. Tollam quippe vos de Gentibus, & congregabo vos de universis terris, & adducam vos in terram vestram.

25. Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos.

* Supr. II.
19.

26. * Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.

27. Et spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.

28. Et habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris: & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.

29. Et salvabo vos ex universis iniquamentis vestris: & vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non imponam vobis famem.

30. Et multiplicabo fructum ligni, & genimina agri, ut non portetis ultra opprobrium famis in Gentibus.

31. Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum, studiorumque non bonorum: & displicebunt vobis iniquitates vestrae, & scelera vestra.

32. Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis: confundimini, & erubescite super viis vestris, domus Israël.

33. Hæc dicit Dominus Deus: In die, quâ mundavero vos ex omnibus iniquitatibus vestris, & inhabitari fecero urbes, & instauravero ruinosas,

34. & terra deserta fuerit exulta, quæ quondam erat desolata in oculis omnis viatoris,

35. dicent: Terra illa inculta, facta est ut hortus voluptatis: & civitates desertæ, & destitutæ atque suffossæ, munitæ federunt.

36. Et scient Gentes quæcumque derelictæ fuerint in circuitu vestro, quia ego Dominus ædificavi dissipata, plantavique inculta, ego Dominus locutus sum, & fecerim.

37. Hæc dicit Dominus Deus: Adhuc in hoc inventient me domus Israël, ut faciam eis: Multiplicabo eos sicut gregem hominum,

38. ut gregem sanctum, ut gregem Ierusalem in solemnitatibus eius: Sic erunt civitates desertæ, plenæ gregibus hominum: & scient quia ego Dominus.

CAPUT XXXVII.

In figura aridorum ossium reviviscendum, designat filios Israël, qui de omni profperitate desperant, reducidos in terram suam: & per duo ligna coniuncta significat unum fore regnum Iuda & Israël, qui sub uno rege ac pastore David observaturi sint mandata Domini, qui cum ipsis pactum feriet sempiternum.

1. **F**ACTA est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Domini: & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus: S A B B.
PENTEC.
PROPH. 6.

2. Et circumduxit me per ea in gyro: erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer.

3. Et dixit ad me: Fili hominis putasne vivent ossa ista? Et dixi: Domine Deus, tu nosti.

4. Et dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis: & dices eis: Ossa arida audite verbum Domini.

5. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis.

6. Et dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem: & dabo vobis spiritum, & vivetis, & scietis quia ego Dominus.

7. Et prophetavi sicut præceperat mihi: factus est autem sonitus, prophetante me, & ecce commotio: & accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad iuncturam suam.

8. Et vidi, & ecce super ea nervi, & carnes ascenderunt: & extenta est in eis cutis desuper, & spiritum non habebant.

9. Et dixit ad me: Vaticinare ad spiritum, vaticinare fili hominis, & dices ad spiritum: Hæc dicit Dominus Deus: A

qua-

quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscant.

10. Et prophetavi sicut præceperat mihi: & ingressus est in ea spiritus, & vixerunt: steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde.

11. Et dixit ad me: Fili hominis, ossa hæc universa, domus Israël est: ipsi dicunt: Aruerunt ossa nostra, & perit spes nostra, & abscessi sumus.

12. Propterea vaticinare, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris populus meus: & inducam vos in terram Israël.

13. Et scietis quia ego Dominus, cum aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris popule meus:

14. Et dederò spiritum meum in vobis, & vixeritis, & requiescere vos faciam super humum vestram: & scietis quia ego Dominus locutus sum, & feci, ait Dominus Deus.

15. Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

16. Et tu fili hominis fume tibi lignum unum: & scribe super illud: Iudæ, & filiorum Israël sociorum eius: & tolle lignum alterum, & scribe super illud: Ioseph ligno Ephraim, & cunctæ domui Israël, sociorumque eius.

17. Et adijunge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum: & erunt in unionem in manu tua.

18. Cum autem dixerint ad te filii populi tui loquentes: Nonne indicas nobis quid in his tibi velis?

19. loqueris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam lignum Ioseph, quod est in manu Ephraim, & tribus Israël, quæ sunt ei adiunctæ: & dabo eas pariter cum ligno Iuda, & faciam eas in lignum unum: & erunt unum in manu eius.

20. Erunt autem ligna, super quæ scripseris in manu tua, in oculis eorum.

21. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam filios Israël de medio nationum, ad quas abierunt: & congregabo eos undique, & adducam eos ad humum suam.

* Ioan. 10.
16.

22. * Et faciam eos in gentem unam in terra in montibus Israël, & rex unus erit omnibus imperans: & non erunt ultra duæ gentes, nec dividantur amplius in duo regna.

23. Neque polluentur ultra in idolis

fuis, & abominationibus suis, & cunctis iniquitatibus suis: & salvos eos faciam de universis sedibus, in quibus peccaverunt, & emundabo eos: & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus.

24. * Et servus meus David rex super eos, & pastor unus erit omnium eorum: in iudiciis meis ambulabunt, & mandata mea custodient, & facient ea. * Isai. 40.
11.
Jer. 23. 5.
Supr. 34.
23.
Dan. 9. 16.
& 7. 24.
Ioan. 1. 45.
& 12. 34.

25. Et habitabunt super terram, quam dedi servo meo Iacob, in qua habitaverunt patres vestri: & habitabunt super eam ipsi, & filii eorum, & filii filiorum eorum, usque in sempiternum: & David servus meus princeps eorum in perpetuum.

26. * Et percutiam illis scædus pacis, pactum sempiternum erit eis: & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. * Psal. 109.
4. & 116.
2.
Ioan. 12.
34.

27. Et erit tabernaculum meum in eis: & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus.

28. Et scient Gentes quia ego Dominus sanctificator Israël, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.

CAPUT XXXVIII.

Habitantibus post redactam captivitatem secure filii Israël in oppidis suis, adducet Dominus in novissimis diebus contra eos Gog cum ingenti exercitu: sed & hunc cum suo exercitu multis cladibus postea consumer.

1. **E**T factus est sermo Domini ad me, dicens:

2. * Fili hominis pone faciem tuam contra Gog, terram Magog, principem capitis Mosoch, & Thubal: & vaticinare de eo. * Infr. 39.
1.
Apoc. 20.
7.

3. & dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Gog principem capitis Mosoch & Thubal,

4. & circumagam te, & ponam frenum in maxillis tuis: & educam te, & omnem exercitum tuum, equos & equites vestitos loriceis universos, multitudinem magnam, hastam & clypeum arripientium & gladium.

5. Persæ, Æthiopes, & Libyes cum eis, omnes scutati & galeati.

6. Gomer, & universa agmina eius, domus Thogorma, latera Aquilonis, & totum robur eius, populi que multi tecum.

7. Præ-